



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Cur, & quo miraculo, Christus staterem è pisce dederit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

quidquid influit, effluit; quasi ad Danaïdæ
dolia damnati in cassum laboratis. Vultis
causam nosse? non est vobiscum Deus: non
offertis Creatori vestro manè diem, vespere
noctem: non præcedit laborem vestrum o-
ratio: non sumitis à cruce præmissa benedi-
ctionem. Dicitur cum Petro, ad Christum:
Luc. 5. 5. In verbo tuo laxabo rete. Usque modo non peti-
Ioan. 16. stis quidquam in nomine illius. Petite, & ac-
34. cipietis.

§. V.

*Cur, & quo miraculo, Christus staterem
è pisce dederit?*

Quin etiam si regnum illius nō sit de hoc
mundo, nec venerit ad dandas caducas, sed
æternas atque cœlestes opes; tamen, si ita
profuerit, etiam pecunias providebit. *Ac-*
Matth. 17. cesserunt, qui didrachma accipiebant (publi-
24. cani) ad Petrum, & dixerunt ei: Magister
vester soluit didrachma? (id est, duo drach-
ma) Et ait: Etiam. Quod de facto, non de
jure, Christum soluisse, semper viderat, vel
hoc ipso postea falsò accusatum, quasi tri-
buta Cæsari solui prohibuisset. Et cum in-
trasset in domum, Petrus, præuenit eum I E-
SVS, dicens: Quid tibi videtur, Simon, Re-
ges terra à quibus accipiunt tributum, vel cen-
sum?

sum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te. Stater enim, seu siclus, erat tetradrachmum, id est duo didrachma, vnum pro Christo, alterum pro Petro; quia vnusquisque didrachmum, seu dimidium sicli pendere debebat. Expende hinc iudicium Christi, & in causa, & in miraculo. Causam ipse indicans ait: *Vt non scandalizemus eos.* Scandalum id fuisset, non datum, sed acceptum, vt vocant Theologi, ex quorum sententia non acceptum sed datum duntaxat scandalum est necessariò vitandum. Ea tamen erat bonitas Christi, vt qui alibi scandalum acceptum contemnendum censuerat dicens: *finite illos, ceci sunt, & duces cecorum*, hoc tamen loco, vel grandi miraculo interueniente, voluerit vitare. Nam miraculum multis de causis fuit magnum. Et si enim Theophilacto daremus, staterem illum, non pecuniam fuisse, sed margaritam; vnde sciuit Christus, piscem primò trahendum margaritam habiturum, si non, spiri-

Matth. 18
14.

tu Prophetico, absentia vidit? sed incredibile est, fuisse margaritam, cum margaritæ non in ore, sed in ventre; non in piscibus, sed in conchis soleant inueniri. Fuit ergo verus siclus, & miraculum inde maius, quod Christus absens sciret, quis fuerit ille piscis, qui in ore staterem esset gesturus; & quod sciret, illum primò ascensurum; immo quod potiùs fecerit, vt ille primus ascenderet; aut quod in ore ascendentis staterem ipse creârit aut formârit; nisi enim ibi primùm eum fecisset, non in ore, sed in ventre piscis stater repertus fuisset: deglutiunt enim pisces, quod ore rapiunt. Quo ex facto apparet, quantis miraculis vel pecuniam quoque suppeditet indigentibus benignus Deus. Quod & per Matrem suam legitur fecisse.

§. VI.

B. Virgo, per Angelum, egenti monasterio aurum mittit.

S. Gregorius
Turon.
lib. I.
de glor.
Martyr,
§. 11.

Monasterium est valde magnum in Hierusalem, non modicam habens congregationem in quodam loco; inquit Gregorius Turonensis, Deuotio populi sæpe plurima confert. Veruntamen Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem, quodam tempore, vt, præ penuria egestatis, valde eis victus necessaria defice-